

tarum rerum scriptores quidam affirmant. Sic itaque domi forisque Republica fœliciter administrata, Tribunus ipse anno sui regiminis, ut quidam tradunt, undevicesimo, ut alii, tertio & vicefimo vita decessit.

Ursus Badoarius in demortui locum surrogatus est. Is Petrum filium ad Græciæ Imperatorem Byzantium misit, a quo Protoſpatarius factus multis est muneribus ornatus: sed quum juvenis Venetias rediret, a quodam Michaele Regulo in Dalmatia interceptus, omni cultu muneribusque exutus, in Myſiam relegatus est: unde clam deinceps profectus Venetias venit. Ursus cum Clodiensibus cœpit de finium recognitione agere: sed cognita Petri Principis, cui ipse successerat, declaratione, præsenti actione abstinuit. Ferunt suis fe virum mira pietate & innocentia præditum: quippe qui undevicesimo sui Ducatus anno sponte se magistratu abdicavit, monasticamque fecutus vitam, in Divi Fœlicis Amiani cœnobio reliquum vitæ egit. Extant ad hunc diem ejus loci vestigia, æde ipsa pene vetustate collapsa, quæ ex urbe Portum Gruarium versus (est id Carnorum oppidum) navigantibus circa turrim, quæ Rivi majoris dicitur, ad lœvam occurrit. Hujus voluntariam abdicationem Petri Candiani, sive Sanuti (id enim cognomen ferunt Candianæ deinceps familiæ fuisse) Ducatus fecutus est. Fuit hic Petri illius qui Dalmatico bello periit, filius: habuit & natum ejusdem nominis, qui a patre in Græciam missus ab Imperatore Protoſpatarius est creatus. In hæc tempora referunt quidam illam raptarum virginum cladem, de qua & si plura primo libro differui (quia in hoc quoque variant scriptores, quos sequimur) non abs re fuerit pauca dicere. Histri, qui Venetorum hostes ea tempestate fuere, ex æde Divi Petri, quæ in ea parte urbis est, quod *Castellum* dicitur, aliquot virgines, quarum nuptiæ tum forte celebrabantur, cum dotibus & reliquo apparatu, impetu repente in eas facto, abduxere. Quo casu conſternata civitate, Dux tumultuaria manu contradicta, continuo in eos movit, atque in Caprulanis paludibus hostem affecutus, in eum fortitione prædæ occupatum ferociter invectus, modico negocio, ut quidam tradunt, superavit.

906

912
Tribuno
succedit Ur-
sus Badoa-
rius.

932
Huic Pe-
trus Can-
dianus.

Raptus Vir-
ginum ab
Histris fa-
ctus.